non recedat. Solebat igitur Aquilius collega et familiaris meus cum de litoribus ageretur. que
omnia publica esse vultis. querentibus his. quos ad id pertinebat. quid esset litus. ita definire
quo fluctus eluderet (l. est) hoc est quasi qui adulescentiam florem etatis; senectutem
occasum vitae velit definire. Translatione enim utens discedebat a verbis propriis rerum
ac suis. Quod ad diffinitiones attinet. hactenus. Reliqua videamus. Partitione sic
(i. in divisione generis)
utendum est. nullam ut partem relinquas. ut si partiri velis tutelas. inscienter facias si ullam pretermittas. At si stipulationum aut iudiciorum formulas partiare. non est vitiosum in re infinita
pretermittere aliquid. quod idem in divisione vitiosum est. formarum enim certus est numerus que
cuique generi subiciantur. Partium distributio sepe est infinitior tamquam rivorum a fonte
deductio. Itaque in oratoriis artibus questionis genere proposito. quot eius forme sint. subiun
gitur absolute. At cum de ornamentis verborum sententiarumque precipitur que vocant sce
(i. non explicantur omnes species sic de ornamentis)
mata. non fit idem. Res est enim infinitior. ut ex hoc quoque intelligatur quod velimus inter
(i. divisio a partitione)
partitionem et divisionem interesse. Quamquam vocabula prope idem valere videantur. tamen quia
res differebant nominibus rerum distare voluerunt. Multa etiam ex notatione sumuntur.
Ea est autem cum ex vi nominis argumentum elicitur. quam greci ethimologiam vocant. i. verbum ex verbo
veriloquium. Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes. genus hoc notatio
nem appellamus. quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles simbolon appellat.
quod latine est nota. Sed cum intelligitur quid significetur. minus laborandum est de nomi
(i. p ne)
ne. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo. Ut cum queritur
(i. post liminium)
postliminium quid sit. non dico que sint postliminii. nam id caderet in divisi
one. que talis est. postliminio redeunt hec. Homo. navis. mulus clitellarius.
(t nos)
equus. equa que frenare recipere solet. Sed cum ipsius postliminii vis queritur.
et verbum ipsum notatur. in quo Servius noster ut opinor nihil putat esse notandum
nisi post. et liminium illud productionem esse verbi vult. Ut in fini
(di)
timo legitimo. aeditimo. non plus inesse timum. quam in meditullio
(i. compositum)
tullium. Scevola autem P. filius iunctum putat esse verbum ut sit
in eo et post et limen. Ut que a nobis alienata sunt cum ad hostem
(t ea)
pervenerint. et ex suo tamquam limine exierint. hinc ea cum redierint.

Margin: Aquilius; parab.; Scemata; Nota; ethimologia; quid sit de nomine laborandum; postliminium; Iunctum